



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex

Delrío, Martín Antonio

Mogvntiae, 1624

Qvæstio XXXII. An in iure & legibus fundamentum habeat, quod quidam dicunt torturam non debere repeti, vltra tertiam vicem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

doctrina Bart. sup. & aliorum. *Marsil. sup. in d. l. repet. numer. 4. & in d. §. quomam num. 2. Farinac. d. quest. 38. num. 83.* Si tamen inchoasset à grauiore, & propter induratum animum rei, & robur corporis, nondum satis indicia expurgata, posset adhuc repeti. Hoc ordinariè obseruandum, vt vltra tertiam vicem tortura non extendatur, *Bertaz. conf. 320. lib. 2. dixi d. vers. quoad iterationem: quia censetur se plane reus expurgasse.* Hæc quoad posterius.

Porro in nostro crimine, propter causam in quæstione positam, poterit iudex facilius vsque ad tertiam venire.

QVÆSTIO XXXII.

An in iure & legibus fundamentum habeat, quod quidam dicunt torturam non debere repeti, vltra tertiam vicem?

Non scio quicquam iurescriptum, vt id receptum sit: sed ex communi Doctorum opinione, in praxim id arbitror, vt æquitati consentaneum, desumptum. id tenuit *Castr. conf. 199. num. 5. libr. 2. Blanc. de indic. nu. 14. Cason. d. cap. 24. Marsil. in §. occurrit. col. 2. versic. & potest poni. & confit. 8. numer. 37. & in d. l. repeti nu. 15. Clarus. d. quest. 64. numer. 32. Cirill. in summ. crim. §. 11. nu. 5. Bonacoss. commun. opin. criminal. p. 1. vers. torquendus debet habere. Grammat. conf. 21. num. 7. & vot. 6. numer. 17. Bofius tit. de tortur. numer. 44. Carrer. tit. de inducjs. numer. 194. & seq. Bertazol. conf. 145. num. 2. Farinac. quest. 38. à numer. 32. Binsfeld. d. concl. 14. probatur à simili. quia sic tria onera tutelarum excusant tutorem, l. tria onera D. de*

A excus. tut. item repetitio de dando ad trinam restringitur, ne hæres nimium grauetur, l. fideicommissa §. si quis decem. D. de leg. 3. nam teste Philosopho tria sunt omnia, & torturis certus aliquis terminus erat præfigendus. Bofius sup. dicit se à nullis bonis iudicibus, sed à sblis carnificibus vidisse hunc numerum transgredi. Si tamen post tertiam vicem iudex aliquis reperiret noua indicia vrgentissima, putem in rigore posse vltius tendere. Nam ista consuetudo non plus ligat, quam faceret ius scriptum: & posset intelligi de omnibus indicijs quæ tertiam vicem præcedunt, quomodo enim censentur expurgata, quæ prius ignorabantur? Fateor hoc dictum nouum, sed nõ quia nouum caret optima ratione, vt ostensum, & confirmatur prox. quæst. 33.

QVÆSTIO XXXIII.

An ille tres vices sint intelligenda de vno die, vel de tribus diebus interpolatis?

Quod non nisi de tribus diebus interpolatis, patet ita vt inter singulas quæstiones dies viginti quatuor horarum intercedat, vt terror & dolor præcedens refideat: & nouus metus ac cruciatus grauior formidabiliorque efficiatur. *Dixi d. vers. quoad iterationem, & tenuit post citatos prox. quæstione Farinac. d. quest. 38. nu. 103.* Nec vllius memini, qui scripserit vno die ter repeti torturam posse. Nisi quod Baiard. ad Clarum sanctum, videatur insinuare, quod commune illud dictum Pauli Castrensis, & aliorum fallat in atrocioribus. Equidem limitatio æquitate non caret, & in nostro crimine non raro foret